

DE AMPLISSIMI VIRI

JACOBI ODDI

Apud Lusitaniæ Regem A. S. Nuncii

AD

SACRAM PURPURAM


PROMOTIONE

ORATIO HABITA PERUSIÆ

In Æde Cathedrali Non. Novembribus MDCCXLIII.

A CAROLO BRUSCHIO

In Perusino Lyceo Literarum Humaniorum Professore.



PERUSIÆ MDCCXLIII.

Ex Typographia Constantiniana, Superiorum Permissu.

[illegible]

NOBILI VIRO

M. ANTONIO COMITI ODDO

CAROLUS BRUSCHIUS F.



Rationem, quam de Eminentissimi Jacobi Cardinalis Oddi Fratris tui Sacra Purpura in solemni Studiorum instauratione habui, Tibi uni, Vir nobilissime atque humanissime, munus quidem, si ex viribus meis spectetur perexiguum, si ex animo magnum, si ex amplissimi Principis Dignitate maximum ut offerrem, duę me

me potissimum caussæ impulerunt. Altera spectata ab omnibus tua fuit humanitas summa morum integritate, ac fide conjuncta, quæ me omnia Tibi debere profiteri compellit; altera observantia, & studium meum qualecumque, quibus Te, totamq. praeclarissimam Domum tuam revereor, & colo: immo, ut vera prædicem, singularis eadem tua, atque optimæ Conjugis tuæ coegit benignitas, qua me semper liberalissime excepistis, atque nobiles magna spe, & bona indole præditos Liberos vestros mihi humaniorum Literarum, & Eloquentiæ studiis instituendos tradidistis. Accedit etiam, quod probatissimi Germani tui laudes Tibi uni debebantur, qui cum eo de fraterna pietate, deque virtutum similitudine contendis. Quas quidem non dicam exornandas oratione, sed dumtaxat recensendas unius, & alterius genere, doctrina, consilio maxime conspicui Viri hortatu excitatus, atque clarissimi doctissimique Benedicti Averani laudatissimi in Pisano Lyceo

eo Eloquentiæ olim Professoris haud dissimili exemplo confirmatus libenti animo suscepi. Quamobrem fateor me nullum aptius, atque jucundius argumentum, ut adolescentes Literarum studia magno, & alacri animo capesserent, excogitare potuisse, quam quod sacra recens præstantissimi Fratris tui Purpura suppeditavit: ut ita tot eximiis summi Viri facinoribus vel auditis, vel lectis tui primum Filii incensi, tum studiosi omnes adolescentes erecti alacrius inceptum studiorum curriculum perficerent. Et ne forte quis eorum, qui notam censoriam omnibus inurunt (nam de iis qui non gravate orationem hanc audient, vel legent nihil tale metuo) assentationi datum esse aliquid suspicetur, Deum O. M. testor nihil unquam a me verius, magisque ex animi mei sententia scriptum esse, quam ea, quæ de spectatissimi Fratris tui rebus splendide pie fortiter sapienterque gestis scripsi. Nec ut incertos, inanesque plausus, quorum osor ego

 sum,

fum, captarem; sed ut certissimam veræ observantiæ, atque cultus in Cardinalem amplissimum, & in Te Virum illustrissimum, atque inclitum Oddorum Genus omne obsequentis animi mei significationem, quæ foret accepta, declararem. Quod si, ut spero, consequi potero, eorum, qui omnia naso suspendunt adunco, dicteria rideam. Abs Te interea enixe peto, ut me amplissimi Principis Fratris tui patrocinio commendatum velis, & illum confido meos hos labores hilari, & serena fronte excepturum, & Te, ea, qua semper consuevisti, me benignitate prosequuturum. Vale, ac felix diutissime vive. Perusiæ Non. Novemb. MDCCXLIII.



ORATIO



I quid unquam læti, opportuni, & jucundi auspice Studiorum sollemni die pro bonarum Artium, Scientiarumque fructu, amplitudine, suavitate, & gloria apud vestrum, *Nobiles ac Reverendissimi Patres, clarissimique Viri*, conspectum ad Perusinam, exteramque juventutem optimis Disciplinis instituendam alteri ex Rhetoribus quotannis de more dicenti obvenire potest; id profecto mihi nonis hisce Novembribus, quæ ipsæ sunt novi literarii anni initium, gratissimum, & jucundissimum percommode cadit, atque contingit. Præteritam enim haud diu, tanquam præsentem intueor lucem V. Id. Septembris, qua quid optabilius? Quid jucundius? Quid splendidius non modo Urbi, verum etiam catholico terrarum Orbi obtingere potuit? Quum BENEDICTUS XIV. P. O. M. lectissimorum hominum Æstimator eximius, atque Judex integerrimus tot, tantosque Viros generis splendore, doctrinæ laude clarissimos, pietate; rerumque gerendarum prudentia spectatissimos, atque imprimis magnis in communem Christianorum Rem gravibusq; muneribus obeundis probatissimos ad Sacram Purpuram jure optimo merito provexit. Jam mihi videor nunc quoque audire plausus, quibus Roma, atque universus fere Mundus summa clarus lætitia Sanctissimi Pontificis consilium, & oraculum immensis inusitatis, ac pene divinis laudibus iq

 cce-

cœlum extollit. Et ita extollit, ut & qui ab Orthodoxis maxime dissident, atque dissentiunt, id reapse probatum, literisque testatum voluisse comperimus. In cujus quidem gaudii ubertatem cum ipsa Urbe, ac multis principibus Italiæ Civitatibus, tu quoque Perusia consors venis, & particeps. Hæret adhuc in animo dies quartus ante idus Septembres, quo tandem aliquando optatissimus nuntius advenit, qui Patricium tui amantissimum, virtutum omnium genere ornatissimum inter amplissimos Sanctæ Romanæ Sedis Cardinales merito ac jure esse cooptatum detulit. Obversatur mihi etiam nunc ante oculos tuorum Civium hilaritas, qui supra se rapti per vias, per forum, per ædes discurrentes gaudia gaudiis cumulabant. Obstrepunt etiam modo festivi omnium, sed potissimum pauperum in Optimatum ædium vestibulum ad captandas stipes confluentium clamores, quibus tanto Patri, Patronoque suo plaudebant. Resonat Templum hoc majus totum supplicibus perusini Populi precibus, & votis, quæ omnipotenti Deo, atque Deiparæ Virgini pro gratiarum actione alacri, demissoque vultu effundebat. Quare in communi omnium lætitia ceteris omnibus, quæ tum forte mente agitabantur, omissis argumentis, in hoc uno publicæ civium alacritati, honestisque plausibus consonante, nec a meo munere, ut opinor, abhorrente curam defixi; quod & vobis Viris Auditoribus gratum, & jucundum, adolescentibus utilius, atque commodius putavi obventurum; si nimirum oratio mea in Jacobi Oddi Purpura gaudiorum omnium origine felicissima tota consisteret. Quid enim magis aptum, faustum, lætum, auspicatum, quam studia vertentis anni ab hac ornatissima Purpura inchoari, quæ declarat in quam alto fastigio Sapientia, ingenuæque Artes possint homines collocare? Atque dum nostræ Patriæ Lyceum aperitur, tanto Cardinali primum plaudi, qui Mecœnas alter munificentissimus studiosos juvenes, doctrinæque laude præstantes homines singulari complectitur benevolentia? De hoc itaque Viro præstantissimo post magnos, multos, gravesque diutissime perpessos labores ad meritum tandem amplissimæ Dignitatis premium elato, pauca pro ingenii mei viribus, ut Adolescentes, ad hoc, quod in-

gre-

grediuntur, studiorum curriculum strenue conficiendum est mei muneris partibus adhorter, & invitem, vestra, sapientissimi PP., Viri AA., fretus humanitate, atque sapientia dicere meditor, vel potius delibare.

Sed ut orationi meæ, cujus tanta est rerum præclarissime gestarum seges, varietas, & copia, ut non ita facile sit contexere extrema cum primis, modus quidam statuatur, & hunc Virum probatissimum inspiciamus a Puero, a principio ordiamur. Revocemus igitur, quæso, in memoriam tempus illud, quum Puer hic veteri generosaque Stirpe profectus, literarum tirocinio in patria posito, Senam florentissimam Urbem, atque omni studiorum genere refertissimam adiit, ut apud Patres Soc. Jes. primam Religioni, ac bonis Artibus daret operam, & tantæ molis jaceret fundamenta. Quibus in studiis ita se gessisse accepimus, ut omnes, qui aliquid de ingenis rite poterant judicare, in amplissima illius Academiæ Aula aureo numismate egregiæ animi sui alacritati debito, & monumentis aliis dignissimum existimarint, quibus Jacobi Oddi memoria Collegium Ptolemæum ex se clarissimum decorantis perpetuo servaretur. Hanc tantam quum movisset sui expectationem; meministi ne, communis omnium nostrum parens Perusia, quomodo ad larem suum familiarem sese receperit, & magni nominis nactus Jurisconsultos, quos ad Justiniani Leges percipiendas, sacrosque Canones evolvendos adhiberet, ad utriusque Juris studium, Romanis Præsulibus opportunum admodum, atque accomodatum, sese contulerit! Recordare tempus illud, quo more Majorum Doctoris nomen, & insignia sumsit; & quum jam esset Romanos inter Præsules (præclaræ cujus Dignitatis institutionem inclarissimo doctissimoque Viro M. Antonio suo Antistiti inclytum Oddorum Genus se referre profitetur) adscitus, in laudatissimo vestro, Jureconsulti Patres, Ordine cunctis suffragiis, eximiis ejusdem meritis tantum intercedentibus, fuit adscriptus. Pro Deus immortalis quanto lumine, atque splendore Collegium vestrum hanc Purpuram adauxisse dicemus! Nam sicuti lumen conspicientibus magis, quam conspectus prodesse videtur; sic Purpurati hujus Viri splen-

 dor,

flor, ac nitor vestrum Ordinem quammaxime illustravit, & illustrat. Vestrum Ordinem tantum? verum etiam universæ nostræ Academiæ, atque Patriæ lucem, decus, ornamentum omne parit. Purissimum enim nobis omnibus est recens sidus ortum, a quo in tantis, quibus offundimur tenebris, lucem, in tantis, quibus jactamur turbinibus, & fluctibus, benignos, ac salubres speramus illapsus. Sed quid de nostra tantum Patria loquor? Jam alia Oppida, Civitatesque non paucæ mihi innuere videntur, ut & ad ipsas sermonem meum aliquando convertam; easque ab eximio Viro teste sapienterque administratas, & in afflictis rebus levamen, in prosperis gloriam consequutas edicam. Te, te, inquam, Ariminum elegans & culta in ora maris Adriatici Civitas, te primum alloquar: quæ clarissimi Præsidis vix primis Romæ magna cum laude muneribus perfuncti curam, vigilantiam, & industriam difficillimis temporibus vidisti. Vidisti? Non eo usus sum verbo, quo decuit; ejus pietatem, liberalitatemque sensisti. Quum enim per te, tuasque regiones (quod quidem frequenter tibi, ut hac nostra tempestate evenire audimus, quandoque etiam gravi non sine molestia, atque dispendio nos quoque sentimus) innumeræ pene exterorum militum copiæ transirent, nonnullæ etiam stativa haberent; tu autem summa tum commeatuum, tum rei nummariæ difficultate laborares: quis tibi opitulatus fuit, nisi tuus tunc Præses amantissimus? Qui argentea sua vasa omnia illico producere (oh præclarum inusitatumque facinus!) pignorique tradere minime dubitavit; ut tibi tantis affectæ calamitatibus opportunissime subsidio veniret. Sileant modo sileant illi veteres Romani Curii, Fabricii, Tuberones, quos antiqua tamdiu Roma ad satietatem prædicat, qui magno pondere, exquisitaque arte constructa argentea vasa potentissimis a populis, fortissimisque Regibus oblata repudiarunt; atque agresti in scamno se assidere, ligneis catinis, fictilibusque vasis cœnare ostentarunt. Quod etenim antiquorum Romanorum temperantiam, virtutisque umbram affectantium superbiæ, ac fastui adscribendum est; id certe plentissime Præsidis veræ virtuti, animique magnitudini est tribuendum. Qui modestissimus, una-

utaque beneficentissimus magni pretii vasa in magnis sibi commendatæ civitatis angustiis obligata pignori voluit, ut ficticia deinde in mensa apponeret. Ob benignitatem excelsam! Oh pietatem prædicandam! Didicerat sane ab Apostolo, & a magno Patre Augustino charitatem *non perperam, non ambitiose agere, non quærere, quæ sua sunt*, sed quæ populorum incolumitati prospicere possunt; *& illum semper habere unde det, cui plenum est pectus charitatis*. Qua quidem inter omnes maxima virtute miraliimur, si Præsul noster gentium vota expleverit, suique desiderio excitaverit; atque ad aliarum Civitatum, Provinciarumque regimen justitia, æquitate, atque eo, quo est, animi splendore, sese comparaverit? Tantarum vero laudum, quas in bene gerendo est adeptus, nec singularis tanti Viri moderatio, nec infirmum meum ingenium partem aliquam attingere patitur. Præteream igitur referre, quæ ipse in se, atque in Sanctæ Sedis decus recte juste pie magnificeque fecit quum ad Collis Scipionis in Sabinorum Provincia gubernaculum sedit. Nil dicam, quæ in amplo Fabriani olim Oppido in Italia celeberrimo, nunc Civitatis nomine insignito præclare gesserit. Non commemorabo quæ rite sancteque in satis culto munitoque Asculo Piceno curando egerit. Silebo qua liberalitate, qua munificentia Centumcellas portu, atque antiquo castro celebres; Anconam opulentum in Pontificia ditione emporium, Viterbium Patrimonii S. Petri caput rexerit, curarit, administrarit. Quis duriorem annonam levavit, & ita levavit, ne in difficillimis temporibus repente vilitas oriretur, & ea ipsa ferme rerum omnium inopia magna vel ad delicias copia consequeretur; nisi Præses hic beneficentissimus, cum harum Urbium, atque Provinciarum clavum teneret? in quo misellæ viduæ, periclitantes virgines, pupilli, egeni solamen, ducem, tutelam, propugnaculum, præsidium nisi in Jacobo Oddo invenere, & etiam, quamvis longissime absit, inveniunt? Quis eo justius, itaque clementior malorum improbitatem, perditorum audaciam coercuit, & fregit, repentino aliquo casu, vehementique impulsu misere lapsorum calamitati prospexit? Quis acrius in fures, & latrunculos animadvertit, ut nullum

ex

ex iis fineret impunitum abire ? Quis honorum fidem, integritatemque præmiis honestavit ? Quis ludorum elegantia, scenarum apparatu præstitutis temporibus exhilaratus est populus ? Nisi sagax Præsulis Oddi consilium, ut nihil ad singularem ejus in adversis, & in secundis rebus commendandam sapientiam desideretur. Quæ profecto sapientia sicuti in sensibus visus, in anima mens, in sideribus sol, sic in rebus omnibus excellit humanis. Quid modo istius splendorem, quid liberalitatem, quid munificentiam, quid sapientissimam commemorem rationem, quibus Præsules, Principes, Cardinales frequentissime excipiebat, exceptos pro eorum, suique dignitate tractabat ? Omittam dicere laudatissimum Prosperam Lambertinium, nunc BENEDICTUM XIV. æternum christianæ Reip. lumen, atq. gloriam immortalem sæpius Viterbii Præsulis Oddi hospitio usum fuisse. Quis enim est, qui ignoret Gubernatoris Ædes illustrium Virorum sedes semper fuisse hospitales, ita ut hospites dignissimos non solum ipse comiter invitaret, sed & diligentius conquireret, humaniusque compelleret ; ut Domus ejus potius quam priscarum gentium Jovis hospitalis fanum omnibus liberaliter benigneque in omne tempus pateret. Novit enim cum magno Eloquentiæ Principe *valde decorum esse patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus*. Sed hæc omnia, & multa, eaque præclara libens omitto, ad pulcherrimum enim Benedicti XIII. factum a Præsulis nostri laudibus haud sejunctum mea festinat oratio. In memoriam, obsecro, revocemus annum millesimum septingentesimum septimum supra vicesimum, & diem V. ante id. novembres, quo Benedictus XIII. P. M., cujus nomen semper erit gloriosum, Clementem Augustum ex Vindelicorum Ducibus, Coloniæ Archiepiscopum, & Sacri Romani Imperii Septemvirum Viterbii, Jacobo Oddo Gubernatore, in amplissimo, eoque religiosissimo Templo S. Mariæ a Quercu nuncupato sollemni ritu initiavit. Te testem appello Viterbium, edicas opto, quot ex proximis, remotisque regionibus omnium ordinum, ac generis homines in te confluxerunt, ut tam celebrem, tam insolitam, tam insignem pompam adspicerent. Suscepisti

x 2 Pon-

Pontificem summum, atque sanctissimum: recepisti Clementem Electorem augustissimum: nobilissimam Violantem Beatricem magnam Hetruriæ Principem intra tua moenia habuisti. Cujus tamen gravissima nisi Præsulis Oddi munia fuerunt, ut in tanto populorum, optimatum, Præsulum, Principum concursu omnia nedum pacate tranquilleque, verum etiam magnifice lætissimeque succederent? Nihil omnino tantorum Principum dignitati deesset, sed cuncta copiosissime redundarent? Quibusnam Præsulis nostri Ædes occlusæ fuerunt, quominus plures nobiles spectatosque Viros ex summorum Principum Aula liberalissime acciperet; apparate, opipareque haberet; ingentibusque muneribus donaret? Quibus imprimis & Benedictum, & Clementem Augustum, Violantem Beatricem tantorum Principum majestati haud impatibus donis fuit prosequutus. Qua quidem in re hoc sane admirandum, & ad clarissimi Viri nomen celebrandum aptissimum occurrit; quod humanissimus, idemque clementissimus Pontifex Benedictus; benignissimus, itemque strenuissimus Clemens Augustus Jacobum Oddum revisere, eique iteratas gratias amantissimis verbis exornatas de susceptis donis per seipsos agere voluerunt. Tantum fuit, & est in Jacobi Oddi prudentia momentum, ut excelsi Principes plurimum honoris eidem semper detulerint, & deferant. Tibi itaque gratulor, Viterbium, quod plures in annos suavis tanti Moderatoris reginminis fructum, voluptatemque percepisti: eoque Præside multis, magnis, insignibusque beneficiis te Benedictus XIII. cumulavit. Quæ profecto summo munificentissimoque Patri, tuoque Præsuli vigilantissimo accepta retulisti, ut illustria grati animi tui ex marmore prædicant monumenta, quæ nulla unquam delebit oblivio, atque viæ tuæ pro antiqua magnificentia a Præsule Oddo lævibus constratæ lapidibus commemorant. Nec vos modo, clari Falisci, sine incuriæ nota præterire posse arbitror. Nonne vobis una cum pientissimo Episcopo vestro Sebastiano Pompilio Bonaventura providus, & prudens Præses Oddus præsto fuit Kalendis Septemb. MDCCXXIX. omni laude, prædicatione, literis, monumentisq; decorandis, quibus invictus Jacobus III. magnæ Britanniæ

b Sui-

me potissimum caussæ impulerunt. Altera spectata ab omnibus tua fuit humanitas summa morum integritate, ac fide conjuncta, quæ me omnia Tibi debere profiteri compellit; altera observantia, & studium meum qualecumque, quibus Te, tamq. præclarissimam Domum tuam revereor, & colo: immo, ut vera prædicem, singularis eadem tua, atque optimæ Conjugis tuæ cogit benignitas, qua me semper liberalissime excepistis, atque nobiles magna spe, & bona indole præditos Liberos vestros mihi humaniorum Literarum, & Eloquentiæ studiis instituendos tradidistis. Accedit etiam, quod probatissimi Germani tui laudes Tibi uni debebantur, qui cum eo de fraterna pietate, deque virtutum similitudine contendis. Quas quidem non dicam exornandas oratione, sed dumtaxat recensendas unius, & alterius genere, doctrina, consilio maxime conspicui Viri hortatu excitatus, atque clarissimi doctissimique Benedicti Averani laudatissimi in Pisano Ly-

ceo

eco Eloquentiæ olim Professoris haud dissimili exemplo confirmatus libenti animo suscepi. Quamobrem fateor me nullum aptius, atque jucundius argumentum, ut adolescentes Literarum studia magno, & alacri animo capesserent, excogitare potuisse, quam quod sacra recens præstantissimi Fratris tui Purpura suppeditavit: ut ita tot eximiis summi Viri facinoribus vel auditis, vel lectis tui primum Filii incensi, tum studiosi omnes adolescentes erecti alacrius inceptum studiorum curriculum perficerent. Et ne forte quis eorum, qui notam censoriam omnibus inurunt (nam de iis qui non gravate orationem hanc audient, vel legent nihil tale metuo), assentationi datum esse aliquid suspicetur, Deum O. M. testor nihil unquam a me verius, magisque ex animi mei sententia scriptum esse, quam ea, quæ de spectatissimi Fratris tui rebus splendide pie fortiter sapienterque gestis scripsi. Nec ut incertos, inanesque plausus, quorum osor ego

 sum,

fum , captarum ; sed ut certissimam veræ observantiæ , atque cultus in Cardinalem amplissimum , & in Te Virum illustrissimum , atque inclitum Oddorum Genus omne obsequentis animi mei significationem , quæ foret accepta, declararem. Quod si, ut spero , consequi potero , eorum , qui omnia naso suspendunt adunco , dicteria videam. Abs Te interea enixe peto , ut me amplissimi Principis Fratris tui patrocinio commendatum velis , & illum confido meos hos labores hilari , & serena fronte excepturum , & Te, ea , qua semper consuevisti , me benignitate prosequuturum. Vale , ac felix diutissime vive . Perusiæ Non. Novemb. MDCCXLIII.



ORATIO



I quid unquam læti, opportuni, & jucundi auspice Studiorum sollemni die pro bonarum Artium, Scientiarumque fructu, amplitudine, suavitate, & gloria apud vestrum, *Nobiles ac Reverendissimi Patres, clarissimique Viri*, conspectum ad Perusinam, exteramque juventutem optimis Disciplinis instituendam alteri ex Rhetoribus quotannis de more dicenti obvenire potest; id profecto mihi nonis hisce Novembribus, quæ ipsæ sunt novi literarii anni initium, gratissimum, & jucundissimum percommode cadit, atque contingit. Præteritam enim haud diu, tanquam præsentem intueor lucem V. Id. Septembris, qua quid optabilius? Quid jucundius? Quid splendidius non modo Urbi, verum etiam catholico terrarum Orbi obtingere potuit? Quum BENEDICTUS XIV. P. O. M. lectissimorum hominum Æstimator eximius, atque Judex integerrimus tot, tantosque Viros generis splendore, doctrinæ laude clarissimos, pietate, rerumque gerendarum prudentia spectatissimos, atque imprimis magnis in communem Christianorum Rem gravibusq. muneribus obeundis probatissimos ad Sacram Purpuram jure optimo merito provexit. Jam mihi videor nunc quoque audire plausus, quibus Roma, atque universus fere Mundus summa clarus lætitia Sanctissimi Pontificis consilium, & oraculum immensis inusitatis, ac pene divinis laudibus in

coe-

cœlum extollit. Et ita extollit, ut & qui ab Orthodoxis maxime diffident, atque dissentiunt, id reapse probatum, literisque testatum voluisse compererimus. In cujus quidem gaudii ubertatem cum ipsa Urbe, ac multis principibus Italiæ Civitatibus, tu quoque Perusia consors venis, & particeps. Hæret adhuc in animo dies quartus ante idus Septembres, quo tandem aliquando optatissimus nuntius advenit, qui Patricium tui amantissimum, virtutum omnium genere ornatissimum inter amplissimos Sanctæ Romanæ Sedis Cardinales merito ac jure esse cooptatum detulit. Obversatur mihi etiam nunc ante oculos tuorum Civium hilaritas, qui supra se rapti per vias, per forum, per ædes discurrentes gaudia gaudiis cumulabant. Obstrepunt etiam modo festivi omnium, sed potissimum pauperum in Optimatum ædium vestibulum ad capiendas stipes confluentium clamores, quibus tanto Patri, Patronoque suo plaudebant. Resonat Templum hoc majus totum supplicibus perusini Populi precibus, & votis, quæ omnipotenti Deo, atque Deiparæ Virgini pro gratiarum actione alacri, demissoque vultu effundebat. Quare in communi omnium lætitia ceteris omnibus, quæ tum forte mente agitabantur, omissis argumentis, in hoc uno publicæ civium alacritati, hocchisque plausibus consonante, nec a meo munere, ut opinor, abhorrente curam defixi: quod & vobis Viris Auditoribus gratum, & jucundum, adolescentibus utilius, atque commodius putavi obventurum; si nimirum oratio mea in Jacubi Oddi Purpura gaudiorum omnium origine felicissima tota consisteret. Quid enim magis aptum, faustum, lætum, auspicatum, quam studia vertentis anni ab hac ornatissima Purpura inchoari, quæ declarat in quam alto fastigio Sapientia, ingenuæque Artes possint homines collocare? Atque dum nostræ Patriæ Lyceum aperitur, tanto Cardinali primum plaudi, qui Mecœnas alter munificentissimus studiosos juvenes, doctrinæque laude præstantes homines singulari complectitur benevolentia? De hoc itaque Viro præstantissimo post magnos, multos, gravesque diutissime perpessos labores ad meritum tandem amplissimæ Dignitatis præmium elato, pauca pro ingenii mei viribus, ut Adolescentes, ad hoc, quod in-

gre-

grediuntur, studiorum curriculum strenue conficiendum ex mei muneris partibus adhorter, & invitem, vestra, sapientissimi PP., Viri AA., fretus humanitate, atque sapientia dicere meditor, vel potius delibare.

Sed ut orationi meæ, cujus tanta est rerum præclarissime gestarum seges, varietas, & copia, ut non ita facile sit contexere extrema cum primis, modus quidam statuatur, & hunc Virum probatissimum inspiciamus a Puero, a principio ordiamur. Revocemus igitur, quæso, in memoriam tempus illud, quum Puer hic veteri generosaque Stirpe profectus, literarum tirocinio in patria posito, Senam florentissimam Urbem, atque omni studiorum genere refertissimam adiit, ut apud Patres Soc. Jes. primam Religioni, ac bonis Artibus daret operam, & tantæ molis jaceret fundamenta. Quibus in studiis ita se gessisse accepimus, ut omnes, qui aliquid de ingeniis rite poterant judicare, in amplissima illius Academiæ Aula aureo numismate egregiæ animi sui alacritati debito, & monumentis illis dignissimum existimarint, quibus Jacobi Oddi memoria Collegium Ptolemæum ex se clarissimum decorantis perpetuo servaretur. Hanc tantam quum movisset sui expectationem; memineris ne, communis omnium nostrum parens Perusia, quomodo ad larem suum familiarem sese receperit, & magni nominis nactus Jurisconsultos, quos ad Justiniani Leges percipiendas, sacrosque Canones evolvendos adhiberet, ad utriusque Juris studium, Romanis Præsulibus opportunum admodum, atque accomodatum, sese contulerit? Recordare tempus illud, quo more Majorum Doctoris nomen, & insignia sumsit; & quum jam esset Romanos inter Præsules, (præclaræ cujus Dignitatis institutionem clarissimo doctissimoque Viro M. Antonio suo Antistiti inclytum Oddorum Genus se referre profitetur) adscitus; in laudatissimo vestro, Jureconsulti Patres, Ordine cunctis suffragiis, eximiis ejusdem meritis tantam intercedentibus, fuit adscriptus. Pro Deus immortalis quanto lumine, atque splendore Collegium vestrum hanc Purpuram adauxisse dicemus! Nam sicuti lumen conspicientibus magis, quam conspectus prodesse videtur; sic Purpurati hujus Viri splen-

 dor,

flor, ac nitor vestrum Ordinem quammaxime illustravit, & illustrat. Vestrum Ordinem tantum? verum etiam universæ nostræ Academiæ, atque Patriæ lucem, decus, ornamentum omne perit. Purissimum enim nobis omnibus est recens sidus ortum, a quo in tantis, quibus offundimur tenebris, lucem, in tantis, quibus jactamur turbinibus, & fluctibus, benignos, ac salubres speramus illapsus. Sed quid de nostra tantum Patria loquor? Jam alia Oppida, Civitatesque non paucæ mihi innuere videntur, ut & ad ipsas sermonem meum aliquando convertam; easque ab eximio Viro recte sapienterque administratas, & in afflictis rebus levamen, in prosperis gloriam consequutas edicam. Te, te, inquam, Ariminum elegans & culta in ora maris Adriatici Civitas, te primum alloquar: quæ clarissimi Præsidis vix primis Romæ magna cum laude muneribus perfuncti curam, vigilantiam, & industriam difficillimis temporibus vidisti. Vidisti? Non eo usus sum verbo, quo decuit; ejus pietatem, liberalitatemque sensisti. Quum enim per te, tuasque regiones (quod quidem frequenter tibi, ut hac nostra tempestate evenire audimus, quandoque etiam gravi non sine molestia; atque dispendio nos quoque sentimus) innumeræ pene exterorum militum copiæ transirent, nonnullæ etiam æstiva haberent; ea autem summe tum commeatuum, tum rei nummariæ difficultate laborares: quis tibi opitulatus fuit, nisi tuus tunc Præfectus amantissimus? Qui argentea sua vasa omnia illico producere (oh præclarum insuetumque facinus!) pignorique tradere minime dubitavit; ut tibi tantis effectæ calamitatibus opportunissimo subsidio veniret. Sileant modo sileant illi veteres Romani Curii, Fabricii, Tuberones, quos antiqua tumida Roma ad satietatem prædicat, qui magno pondere, exquisitaque arte constructa argentea vasa potentissimis a populis, fortissimisque Regibus oblata repudiarunt; atque agresti in scamno se assidere, ligneis catinis, fictilibusque vasis cœnare ostentarunt. Quod etenim antiquorum Romanorum temperantiæ, virtutisque umbram affectantium superbiæ, ac fastui adscribendum est; id certe pientissimi Præsidis veræ virtuti, animique magnitudini est tribuendum. Qui modestissimus,

une-

anaque beneficentissimus magni pretii vasa in magnis sibi commendatæ civitatis angustiis obligata pignori voluit, ut fictilia deinde in mensa apponeret. Oh benignitatem excelsam! Oh pietatem prædicandam! Didicerat sane ab Apostolo, & a magno Patre Augustino charitatem *non perperam, non ambitiose agere, non quærere, quæ sua sunt*, sed quæ populorum incolumitati prospicere possunt; *& illam semper habere unde det, cui plenum est pectus charitatis*. Qua quidem inter omnes maxima virtute miramur, si Præsul noster gentium vota expleverit, suique desiderio excitaverit; atque ad aliarum Civitatum, Provinciarumque tegimen justitia, æquitate, atque eo, quo est, animi splendore, sese comparaverit? Tantarum vero laudum, quas in bene gerendo est adeptus, nec singularis tanti Viri moderatio, nec infirmum meum ingenium partem aliquam attingere patitur. Præteream igitur referre, quæ ipse in se, atque in Sanctæ Sedis decus recto juste pie magnificeque fecit quum ad Collis Scipionis in Sabinorum Provincia gubernaculum sedit. Nil dicam, quæ in amplo Fabriani olim Oppido in Italia celeberrimo, nunc Civitatis nomine insignito præclare gesserit. Non commemorabo quæ rite sancteque in satis culto munitoque Asculo Piceno curando egerit. Silebo qua liberalitate, qua munificentia Centumcellas portu, atque antiquo castro celebres; Anconam opulentum in Pontificis ditione emporium, Viterbium Patrimonii S. Petri caput rexerit, auxerit, administrarit. Quis duriorem annonam levavit, & ita lavavit, ut in difficillimis temporibus repente vilitas oriretur, & ex ipsa ferme rerum omnium inopia magna vel ad delicias copia consequeretur; nisi Præses hic beneficentissimus, cum harum Urbium, atque Provinciarum clavum teneret? in quo misellæ viduæ, periclitantes virgines, pupilli, egeni solamen, dotem, tutelam, propugnaculum, præsidium nisi in Jacobo Oddo invenere? & etiam, quamvis longissime absit, inveniunt? Quis eo justior, unaque clementior malorum improbitatem, perditorum audaciam coercuit, & fregit, repentino aliquo casu, vehementique impulsu misere lapsorum calamitati prospexit? Quis acrius in fures, & latrunculos animadvertit, ut nullum

ex iis fineret impunitum abire ? Quis bonorum fidem, integritatemque præmiis honestavit ? Quis ludorum elegantia, scenarum apparatu præfinitis temporibus exhilaratus est populos ? Nisi sagax Præsulis Oddi consilium, ut nihil ad singularem ejus in adversis, & in secundis rebus commendandam sapientiam desideretur. Quæ profecto sapientia sicuti in sensibus visus, in anima mens, in sideribus sol, sic in rebus omnibus excellit humanis. Quid modo istius splendorem, quid liberalitatem, quid munificentiam, quid sapientissimam commemorem rationem, quibus Præsules, Principes, Cardinales frequentissime excipiebat, exceptos pro eorum, suique dignitate tractabat ? Omittam dicere laudatissimum Prosperum Lambertinum, nunc BENEDICTUM XIV. æternum christianæ Reip. lumen, atq. gloriam immortalem sæpius Viterbii Præsulis Oddi hospitio usum fuisse. Quis enim est, qui ignoret Gubernatoris Ædes illustrium Virorum sedes semper fuisse hospitales, ita ut hospites dignissimos non solum ipse comiter invitaret, sed & diligentius conquireret, humaniusque compelleret : ut Domus ejus potius quam priscarum gentium Jovis hospitalis fanum omnibus liberaliter benigneque in omne tempus pateret. Novit enim cum magno Eloquentiæ Principe *valde decorum esse patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus*. Sed hæc omnia, & multa, eaque præclara libens omitto, ad pulcherrimum enim Benedicti XIII. factum a Præsulis nostri laudibus haud sejunctum mea festinat oratio. In memoriam, obsecro, redigamus annum millesimum septingentesimum septimum supra vicesimum, & diem V. ante id. novembres, quo Benedictus XIII. P. M., cujus nomen semper erit gloriosum, Clementem Augustum ex Vindelicorum Ducibus, Coloniæ Archiepiscopum, & Sacri Romani Imperii Septemvirum Viterbii, Jacobo Oddo Gubernatore, in amplissimo, eoque religiosissimo Templo S. Mariæ a Quercu nuncupato sollemni ritu initiavit. Te testem appello Viterbium; edices opto, quot ex proximis, remotisque regionibus omnium ordinum, ac generis homines in te confluxerunt, ut tam celebrem, tam inusitatam, tam insignem pompam adspicerent. Suscepisti

Pon-

Pontificem summum, atque sanctissimum: recepisti Clementem Electorem augustissimum: nobilissimam Violantem Beatricem magnam Hetruriæ Principem intra tua mœnia habuisti. Cujus tamen gravissima nisi Præsulis Oddi munia fuerunt, ut in tanto populorum, optimatum, Præsulum, Principum concursu omnia nedum pacate tranquilleque, verum etiam magnifice lætissimeque succederent? Nihil omnino tantorum Principum dignitati deesset, sed cuncta copiosissime redundarent? Quibusnam Præsulis nostri Ædes occlusæ fuerunt, quominus plures nobiles spectatosque Viros ex summorum Principum Aula liberalissime acciperet; apparate, opipareque haberet; ingentibusque muneribus donaret? Quibus imprimis & Benedictum, & Clementem Augustum, Violantem Beatricem tantorum Principum majestati haud imparibus donis fuit prosequutus. Qua quidem in re hoc sane admirandum, & ad clarissimi Viri nomen celebrandum aptissimum occurrit; quod humanissimus, idemque clementissimus Pontifex Benedictus; benignissimus, itemque strenuissimus Clemens Augustus Jacobum Oddum revisere, eique iteratas gratias amantissimis verbis exornatas de susceptis donis per seipsos agere voluerunt. Tantum fuit, & est in Jacobi Oddi prudentia momentum, ut excelsi Principes plurimum honoris eidem semper detulerint, & deferant. Tibi itaque gratulor, Viterbium, quod plures 10 annos suavis tanti Moderatoris regiminis fructum, voluptatemque percepisti: eoque Præside multis, magnis, insignibusque beneficiis re Benedictus XIII. cumulavit. Quæ profecto summo munificentissimoque Patri, unaque Præsuli vigilantissimo accepta retulisti, ut illustria grati animi tui ex marmore prædicant monumenta, quæ nulla unquam delebit oblivio, atque viæ tuæ pro antiqua magnificentia a Præsule Oddo lævibus constratæ lapidibus commemorant. Nec vos modo, clari Falisci, sine incuriæ nota præterire posse arbitror. Nonne vobis una cum pientissimo Episcopo vestro Sebastiano Pompilio Bonaventura providus, & prudens Præses Oddus præsto fuit Kalendis Septemb. MDCCXIX. omni laude, prædicatione, literis, monumentisq; decorandis, quibus invictas Jacobus III. magnæ Britanniæ,

D Sui

Suique Rex fortissimus, & Maria Clementina Augusto Joannis III. Poloniæ Regis Sanguine orta Regina sanctissima cæteris vestris laudibus illam Regalium suorum Connubiorum addiderunt ? Nonne Regii Conjuges bimestri post. nuptias hospitio Urbem vestram illustrarunt ? Nonne ... Sed quid plura de his ? Cum reliquus Præsulis nostri (cujus prudentiæ, integritati, atque consilio majora debebantur) vitæ cursus mihi sit percurrendus : ut navi, & probi adolescentes hinc virtutem, atque animum ad grandia capiant incepta. Vix ergo ad tractum Rheni Nuncio electo ; vix Laodiceę Archiepiscopo renunciato ; vix sacris Ordinibus inaugurato, gravissimum unus (non enim cujuslibet erat adire Corynthum) cui pro S. Sede inclyti Parmæ Ducatus negotium mandaretur, fuit repertus. Quam quidem arduam, atque difficilem provinciam, pro Superi ! Qua arte, quo consilio, qua dexteritate, qua politia suscepit, ac gessit ! Quæ fuit ejus cita peragratio ! Quæ cauta occupatio ! quæ maturæ pro Pontificio Imperio res ceptæ, & ad finem perductæ ! Scio me in rebus celebratissimis omnium sermone versari, eaque quæ dico, dicturusque sum, notiora esse omnibus quam mihi. Parma quippe novit, Romam non latuit, quid in ea legatione prudentissime fuerit persequutus. Quid & in Agrippinensi Colonia Germaniæ Urbium maxima, atque cultissima perfecerit. Accipite hoc solum, AA., & ex hoc uno ea, quæ gessit, præclarissima cognoscite : nostrum nimirum Jacobum Oddum non modo celsissimo Clementi Augusto gratissimum in omne tempus extitisse, atque ab eo innumera propemodum liberalis humanitatis officia sumpsisse; verum etiam a Carolo Alberto tum Vindelicorum Duce, Imperatore nunc semper Augusto omni benignitatis genere, quoties sese locus obtulit, acceptum fuisse. Quemadmodum enim callidi peritique oavium gubernatores ventorum mutationibus sese accomodant navigaturi ; ita Vir hic solertissimus temporum rationi, Principum ita sese tamen comparat voluntati, atque consilia, ut assidue Pontificiæ Majestatis, quod certe in Nuncio primum & præcipuum sit oportet, dignitatem, auctoritatemque sustentet, atque defendat. Hinc ingenua illa Romano Præsule digna vitia arguen-

di, pravos usus tollendi, & si quæ forte offendicula incurrerent, reprimendi libertas; ne conscius animus aliquando exprobrare posset brevissimum illud Isaiæ *væ mihi quia tacui*. Non enim fugit Virum nostrum sapientissimum commendata illa a Christo Domino serpentis prudentia, columbæque felix experta simplicitas, quibus tempestive ante Duces, Regesque uteretur. Novit Dei Spiritum Ecclesiæ Ministris dari, ut evellant & destruant, ædificent & plantent. Hinc integritas illa morum, candor, atque modus, quibus Summorum Pontificum jussa implebat; ut probitate hac, atque ingenuitate munitus potentissimæ Venetiarum Reipublicæ Græcæ, Romanæque eloquentiam, virtutem, atque gloriam æmulantis, Duci, Patribusque conscriptis jucundissimus tres per annos continuos, quibus Pontificii Legati munus implevit, esset atque acceptissimus. Vidit (& si fas est audita loqui) nec aliqua sine admiratione Veneta Respublica vidit sollemnem apparatum ditissimum, quo Jacobus Legationem ipsam iniit, splendidissimeque confecit. Vidit, & in futurum quoque ævum prospiciet Nunciorum licet affabre constructum palatium ab eo restauratum, dietaque adjecta Nuncii, familiæque commoditati consultum. Vidit impedita quædam brevi feliciterque expedita. Quis igitur non fatebitur hæc splendida esse? Sed splendidiora nihilominus mihi procurrunt dicenda. Clementis XII. imperio inserviens a Veneta Rep. Romam redit Jacobus noster; & e vestigio ab eodem Pontifice ad magnanimum Lusitaniæ Regem potentissimum Nuncius fuit destinatus. Non est mihi, cur multis vos morer, AA., quoniam fama ipsa ad nos quoque detulit, quo magnifico exquisitoque cultu, ornatuque Pontifice prorsus, cujus munus implebat, atque Jacobo digno celeberrimam Legationem susceperit, ac præstiterit. Quo studio, quo consilio ardua quædam, & difficilia, sive olim intentata, sive frustra suscepta ex Sanctæ Sedis judicio, & voluntate, magno non sine ipsius strenuissimi Regis consensu, voluptateque sub ipso fere Legationis exordio composuerit. Ab eadem fama accepimus quod ea, quæ Jacobus laboribus, sumptibus minime parcens gessit, & gerit, Rex ipse cum tota Aula regia semper

per

per spectavit, probavit, commendavit. Neminem credo modo rerum tam ignarum reperiri, qui non fateatur his virtutibus instructum, hac munificentia non in luxu, opibusque profundendis, sed in hominibus demerendis eminente ornatum Jacobum Oddum, hoc est sapientissimum, & clarissimum Virum non posse digne laudibus efferri, sed tacita potius veneratione admirari. Quia gravissimus Præsul sine ulla controversia, seu in Civitatibus, Provinciisque moderandis, seu in amplis rebus obeundis, muneribusque pro Vaticana Sede implendis magna, ardua, & excelsa spectavit, atque spectat. Quare populis, gentibus moribus, linguas atque vivendi genere disiunctissimis, maximeque diversis suavissimus; Regibus, ac Principibus gratissimus; Sacro Purpuratorum Patrum Senatui jucundissimus; Summis Pontificibus fuit, & est acceptissimus. Prudentia enim cum consilio, fides cum religionis studio, auctoritas cum humanitate, gravitas cum comitate, justitia cum æquitate, liberalitas cum magnanimitate conjuncta probatissimos Viros efficiunt. Quid nostrum laudatissimum Jacobum, cui perpetuam, insitam, propriam virtutem esse cernimus? Qui se ea Familia clarissima ortum cognoscit, ad quam pietas, fides, in religiosos omnes Ordines observantia, in pauperes amor, & liberalitas in hæreditatem venere. Quas virtutes ipse ab incunabulis illustrissimis, optimisque a Parentibus Comite Francisco Oddo, & Maria Victoria Bancheria, singulariter vero a pientissima Matrona integerrima Catharina Avia Gryphonis a Pinna filia auctoribus, & præceptoribus didicit; unaque omnes optimo Clementis IX. maximi Proavunculi sui exemplari proposito adauxit. Oh utinam singularis ejus modestia pateretur: oh utinam tanta mihi esset dicendi vis, tantus eloquendi nitor, quo tanti Viri virtutes possem apte ornateque prædicare. Sperarem sane perorando commemorare qua in Deum charitate exardescat; ut rebus omnibus abdicatis tempus aliquod annis singulis inveniat, quo sacro aliquo in recessu Deo solummodo vivere gestiat. Sperarem recensere quod literatos homines benignissime complectitur, eorumque eruditis sermonibus delectatur. Quando

enim

enim tempus, & gravis munera sinunt, vel in cœna ipsa doctos viros apud se convocat, & de gravissimis ad Theologiam præcipue pertinentibus quæstionibus, ipsis disceptantibus mira cum voluptate hora, & amplius aures faciles præbet & attentas. Sperarem columbas ab accipitrum unguibus ereptas, & in matrum sinu repositas, dotibusque datis collocatas narrare. Considerem jacentes viduas, oppressos pupillos, religiosas Mendicantium Familias; omnes denique indigentes opis, auxilioque sui ingenti opum vi profusa sublevatos; mulieres, queis male actæ vitæ sacrum sanctumque fuit pœnitere religioso in Secessu reconditas, annuumque eisdem canonem de suo ære constitutum percensere. Considerem ipsius in Comitem Franciscum longævum Patrem pietatem, in M. Antonium virum humanitate, atque morum suavitate usquequaque dilectum, &, ut paucis dicam, Jacobo simillimum Fratrem, in pari virtute ejusdem Fratris Conjugem præclarissimam Altavillam Raineriam, in piissimam Sororem Mariam Magdalenam nobilis Viri Hugoccionis Borbonii Sorbelli Marchionis olim uxorem, benevolentiam; in carissimos egregiæ indolis Fratris Filios amorem, & demum in familiares omnes studium, & gratissimum animum, nonnullis & annuo perpetuo præscripto censu, copiosius ostendere: ut generosi præsertim juvenes non sapientiam solum, sed charitatem in Deum, pietatem in Parentes, amorem in cognatos, & affines, gratum animum in famulos a tanti Viri exemplo addiscerent. Non sunt enim a literarum studio ingenuæ artes, optimique mores sejungendi, horum etenim opem illud apprime poscit, atque requirit. Sed cum spectatissima ejusdem modestia, meique ingenii vires id a me fieri posse minime permittant, hoc unum, & sane maximum addam, quod uni Beatissimo P. BENEDICTO XIV. ex toto reservabatur tot, tantisque virtutibus dignissimum præmium Purpuram nimirum elargiri. Purpura igitur, quam diuturnam esse precamur, Jacobi Oddi virtutes omnes longe lateque celebrat, atque commendat: quod Purpureum Galerum nisi gravissimis pro christiana Rep. susceptis laboribus, probatissimorumque hominum virtutibus a capite ad calcem ob multa bene

bea-

beateque perducta opera debetur. Et quænam, & quanta ab hoc Purpurato Viro Fides nostra sanctissima, Apostolica Sedes, Roma ipsa, atque hæc nostra Patria summa bona certo certius confidit acceptura! Si enim Phidias inspecto leonis dumtaxat ungue, quantus esset totus leo perpendit, totumque ex indicio unguis effinxit: pro Deus immortalis! Vestri, AA., judicii, vestrique erit sapientiæ decernere quænam, & quanta Cardinalis noster amplissimus modo gloriosissime peraget. Si enim Præsuli tam propria, tam perpetua fuit virtus eximia; quantam futuram in posterum in amplissimo Cardinale censebimus? Oh felices itaque Urbinates, qui sub tanti Cardinalis imperio tranquillissimæ pacis auras spirabitis, perpetuoque florebitis.

Sed tempus jam est, ut tota mea ad vos omnes, pro quibus est instituta, sed præcipue ad generosæ peninsinæ Nobilitatis Adolescentes sese convertat oratio. Purpura nidem hæc splendidissima vestrum omnium mentes ad studia hilari alacrique animo capessenda, ad labores in studiorum curriculo prompte parateque ferendos, ad otium, inanesque curas, molles, & inutiles, quæ tantum in nostra civitate (pro dedecus!) in dies invalescunt consuetudines vitandas, atque fugiendas adhortatur, & incendit. Quare a scopo haud aberravi, si hanc tam læram, tam sacram, tam fulgentem Purpuram pro felici studiorum instauratione argumentum nitidissimum delegi. Quoniam si certum, quin etiam certissimum est apud omnes Rhetores quod exempla acrius, quam dicta, facta potius, quam verba movent, & impellunt: quid vobis sapientissimis Viris, ornatissimisque Adolescentibus illustrius, nobilius, præstantius ad labores amplectendos, ad literarum studia naviter acriterque colenda, quàm Cardinalis Eminentissimi Jacobi Oddi exempla, resque fortiter, prudenterque gestas proponere poteram? Sunt enim maximi Viri stimuli, & veluti clavi, qui aliis inculcant, quæ sint strenue constanterque perficienda.

Quare gaude, Princeps Amplissime, isto tuo tam excellenti bono, & auspice Deo, fruere cum fortuna, & gloria, tum etiam natura, & moribus, virtutibusque tuis, ex quibus qui-

quidem maximus est fructus, jucunditasque sapienti. Te Deus O. M. ab omni incommodo, detrimento, atque molestia sartum, tectum, integrumque in omni vita conservet. Te diutissime ad sanctæ Sedis, tuæque clarissimæ Familiæ decus, & dignitatem, Te ad Patriæ gloriam, & incolumitatem, quæ in Te uno Patre, atque Patrono conquiescit, tegat, atq. tueatur. Te demum ad Summam omnium Felicitatum reservet.

Gaude & tu, Augusta Perusia, quæ tanto Viro cunabula, educationem, lauream præstitisti; & lætare tam magno, tam præsenti, tam vero bono; pro quo ab omnipotenti Deo precibus contende, ut voluptatem, quam de tuo ad sacram Purpuram evecto Cive recepisti, maxime firmam velit esse, & diuturnam. Hic etenim Vir præstantissimus damna, & jacturam acerbissimam, quam elapsis tredecim ab hinc annis in immatura M. Antonii Ansidæi, & Gregorii Selleri inclytæ memoriæ Cardinalium morte pertulisti, hic unus, inquam, tuus Patricius nobilissimus, utque beneficentissimus prudentia, consilio, pietate, auctoritate, comitate, animi magnitudine, virtutibusque omnibus, quibus est ornatissimus, affatim satis abundeque compensabit.

